

I. N. J. C.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE

SIMULACRIS VIRTUTUM,

CUJUS

Partem Priorem;

Consensu Amplissimae FACULTATIS Philosophicae
In Regia ad Auram Academia,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE BILMARK,


HISTOR. & PHIL. PRACT. PROFESS. Reg. & Ord.

Publico bonorum examini subjicit

ANDREAS ACHRENIUS, TAVASTENSIS.

Die XXII Dec. Anni R. S. MDCCCLXIV.

L. H. A. M. C.



ABOÆ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL,

KONGL. MAJ:TS
TRO-TJENARE, MAJOR UTI ARME'EN,
SAMT
RIDDARE AF KONGL. MAJ:TS SVÅRDS-ORDEN,
VÅLBORNE HERREN,
H.R. JOHAN FREDRIK
VON WALLVIJK,
HÖG-GUNSTIGE GYNNARE.

Et dygdigt och et smickrande sinne skiljs så wäl i andra mähl ifrån hvarandra, som i synnerhet, när de skola visa sin skyldiga ärkjänsla. Det förra gläder sig i sin enfaldighet af alla tilfället, på hvilka det får uptekna de välgjerningar, som det aldrig nog samt kan berömma, mindre vederbörligen astjena. Det senare prunckar wäl med sina Gynnares stora losord, men endast i affligt, at således göra sig dem åter förbundna. Jag lämnar dessas fåfänga, och får lika välmint, som de förre, i dag framte et liter vedermäle af min vördnadfulla tacksamhet för den myckna bevågenhet, hvarmed VÅLBORNE HERR MAJOREN och RIDDAREN mig i flera år bevårdigat. Anse, HÖGGUNSTIGE HERRE, med vanlig ynnest detta mitt första Academiska arbete, som jag bordt EDER upoffra, och gynnen äfven framdeles mig, som för EDER beständiga fällhet skal anropa Den Högste GUDEN, samt med all vördnad til sista lefnads stunden framhärdta
VÅLBORNE HERR MAJORENS och RIDDARENS

Ödmjukaste tjenare,
ANDREAS ACHRENIUS.

18

REGEMENTS COMMISSARIEN
WID ÅBO LÄHNS REGEMENTE TIL FOTH,
ÅDEL OCH HÖGACKTAD,
Herr DIDRIC JOH. SCHLYTER,
CRONO-BEFALLNINGSMÄNNEN i MASKO HÄRAD,
ÅDEL OCH HÖGACKTAD,
Herr NILS GYLDEEN.
LIQVIDATIONS-COMMISSARIEN,
WID KONGL. ÅBO-HOFRÄTT,
ÅDEL OCH HÖGACKTAD,
Herr HENRIC STRÖM,
MINE GUNSTIGE HERRAR OCH MORBRÖDER.

ATtanckan af den belynnerliga ynnest, hvarmed MINE GUNSTIGE HERRAR och MORBRÖDER mig bevärdigat, har gjordt, at jag innerligen önskat mig något tillsfälle, då jag kunde få lämna offenteligt vedermåle af min skyldiga ärkänsla. Jag har nu til en del wunnit min önskan; men när jag jämförer min oförmögenhet emot Edra Valgierningar, stannar jag uti en vördsam tyflatenhet, då jag borde mäst tala. Tilläten dock, MINE GUNSTIGE HERRAR och MORBRÖDER, at detta mitt första snilleprof, som jag Eder härmeldes har äran at tillägna, får vara en pant af min beständiga tacksamhet. HERREN late Eder vandring, i hvilken de fanne och ofärgade dygder lyfa, altid vara hans Nådes och Välsignelses föremål. Således önskar

MINA GUNSTIGA HERRARS och MORBRÖDERS

Ödmjuka tjänare

ANDREAS ACHRENIUS.

PLURIMUM REVERENDO atque PRAECLARISSIMO,
D: NO ABRAHAMO
ACHRENIO,
PASTORI animarum, quæ DEO in Nousis colliguntur;
longe meritissimo,
PARENTI OPTIMO.

Latissimum merito hunc reputo diem, quo igniculi illi
venerationis, quos in penetralibus cordis mei prolixus
Tuus, Indulgentissime Pater, amor accendit, tandem e-
rumpere possunt; obstupesto autem, dum præterita mibi in
memoriam revoco tempora. Tanta enim Paternæ Tuæ bo-
nitatis mihi obveniunt documenta, quanta esse solent, cum
sunt maxima. Tibi enim, Carissime Parens, post DEum O.M.
debeo, & quod vivam & quod feliciter vivam. Tu vere
virtutis studium a teneris inde ungviculis animo meo instil-
lasti, instillatumque sollicite fovisti. Morem igitur manda-
tis Tuis gesturus, & quantum tam in hoc, quam in aliis
disciplinarum generibus hacenus profecerim, modeste o-
fensurus, hoc specimine Academico exponere conatus sum,
quantum inter veras virtutes & harum simulacra interce-
dat discriminem. Accipe igitur, Indulgentissime Pater, eni-
se oro atque contendeo, paucas basce pagellas rudi Minerva
elucubratas, quas Tibi in tesseram gratissimi animi conse-
cratas volo. De cetero ex intimo pectore opto voveoque, ve-
lit Supremus rerum Moderator Te, Carissime Pater, in Ec-
clesia commodum & omnium nostrum, qui Tui sumus, sola-
rium sospitem & incolumem quam diutissime conservare:
Sic vovet **PARENTIS OPTIMI**

obedientissimus filius
ANDREAS ACHRENIUS.



§. I.



Epingant alii roseos Floræ campos, mirenturque exquisitissimos Fau-næ fœtus, descendant alii in obscu-râ terræ viscera & fulva inde pro-trahant metalla, quæ poliant & coa-cervent, alii denique amplissimis ti-
culis vel magnifico omnium rerum apparatu sese
jaçtent; nos vero ingenuam virtutem istis omnibus
merito præferimus. Ceteræ enim res valde caducæ
sunt, &, quamvis in initio magnam pariant delecta-tionem, hæc tamen ipsa diuturnitate minuitur, donec
in fastidium sensim vergat; contra ea vero conti-nuus virtutis usus animum blandissime adficit, nec
ullis tædii molestiis ipsum unquam capi permittit.
Tanta quoque ejus est venustas, ut gravissimus etiam
PLATO professus sit: *quod si oculis ipsa videri pos-set, mirabiles sui amores excitaret (a).* Juvat igitur
hanc Cæli Filiam, vel potius hanc inter Cælites &
mortales pronubam agnoscere. Virtutem proinde

A

cum

cum Philosophis definimus per constans & serium stu-
 dium sese in omnibus ad voluntatem Summi Nu-
 minis componendi. Unde patet, quod fundamen-
 tum virtutis sit intensissimus, quo Deum prosequimur,
 amor, qui ita nos adficit, ut anheli quasi obedientiam
 Creatori nostro probare nitamur. Voluntatem ita-
 que Supremi Legislatoris partim in natura, partim
 in Scriptura S. manifestatam indagare conamur; pro-
 be gnari, quod virtutis cultor salutari non debeat,
 qui vel ex adsuetudine vel imitatione illius, quem
 impense diligit, sese aliquando ad legem Divinam compo-
 nit. Agnovit hoc jam pridem SENECA (b): Bo-
 nus vir, inquit, sine DEo nemo est. An potest aliquis
 supra fortunam nisi ab illo adjutus exsurgere? Ille
 dat consilia magnifica & erecta. Sicut vero naturam
 aquarum rite aestimatur, scaturigines prius explorare so-
 lemus; ita quoque in vera virtute discernenda animi
 intentio praecipue respici debet. Hæc enim quasi
 primum mobile actionum nostrarum est, quam spe-
 ctat Deus, qui plicas cordium scrutatur, immo quam
 spectant homines, quatenus ipsa ex aliis aliisque
 momentis patescat. Ut hæc reæta sit, postulat ve-
 ræ virtutis indoles, quæ limpidissimum perfectio-
 num Divinarum speculum quotidie intuens, adsci-
 tum ornatum ne quidem clanculum adsumere pot-
 est. Dignoscitur porro virtus ex simplicitate, adeo
 ut quisque cum PAULO profiteri queat, quod εστιν απλο-
 της καὶ αληφασια οὐσία, id est in simplicitate & sinceritate
 DEI vixerit, 2. Cor. I: 12. Hæc quoque facit, ut consci-
 entia inos haud exagitet, sed animus noster liberali-
 ejus

ejus testimonio delegetur & confirmetur; immo tantam nobis impertit constantiam, quanta necessaria est, ut nec secundæ fortunæ lenociniis in transversum rapiamur, nec adversæ calamitatibus opprimamur. Aliorum quoque amicitiam nobis & conciliat & conservat, adeo ut eos etiam diligamus, quos nunquam vidimus. Quare HOMERUS virtutem in ULYSSE naufrago, vestium loco ea ornato, ita commendat: *O! Homines st nobis curæ virtus, quæ & cum naufrago simul enat, & in littore nudum ejectum Phæacibus venerabiliorem ostendit.* Atque ut paucis multa complectar: Sicut vera virtus Divinæ est originis; ita quoque entheam suam vim & exitium vigorem per totum diffundit hominem, dignitatis, probitatis atque constantiæ documenta relinquens luculentissima.

(a) Vid. CICERONIS *Libr. I: de Officiis*, Cap. IV. (b)
Vid. *Epiſt. XLI. p. m.. 104.*

§. II.

Fida autem satis docet experientia, quod ea multarum rerum sit conditio, ut tales non sint, quales esse videantur. Quam multi, quæ so, sunt lapides, qui speciem auri vel argenti mentiuntur, cum tamen vix micam horum metallorum contineant. Eodem plane modo cum virtutibus comparatum est. Sunt enim multi, -qui illis studere judicantur, quamvis speciosis solummodo actionibus, vel rectius virtutis, si scapham scæptam appellare liceat, aliis hominibus fucum faciant. Merito proinde *Simulacra vir-*

tutum appellantur, quæ sunt actus in externis quibusdam momentis cum vera virtute convenientes, qui tamen interna ejusdem indole atque forma plane destituantur. Posunt autem isthac simulacra in duo genera haud incommodè dispesci, quorum alia quidem per se & naturam suam similitudinem quandem cum virtute habent; quare prodigalitatem non nulli pro liberalitate habere solent. Quædam rursus aliud quid respicientia virtutem simulate prætexunt. Sic multi humanitatem atque modestiam præ se ferunt, ut eo facilius aliorum admirationem & amorem sibi devinciant, atque sic ad honores aditum sibi parent. Enimvero sicut lolia solent grandia suffocare hordea; ita simulacra hæc in detrimentum rerum virtutum & increscere possunt, & nostro ævo nimis increverunt. Quamobrem felicitati generis nostri consulere sunt censendi, quotquot vitiosis actionibus alienas, quibus superbiunt, plumas detrahunt; luculententer ostendentes, quod veræ virtutes tantum apparentibus distent, quantum æra lupinis. In hoc argumento explicando nobis præcesserunt Eruditii quidam, quos inter præcipue referendus SPIRITUS FLEXIARIUS (*L'ESPRIT FLECHIER*), Academiæ Eruditorum Parisiensium Socius & tandem Episcopus Nemausensis in libro, quem appellat: *La Fausseté des Vertus humaines*, qui duobus voluminibus Parisiis & Amstelodami An. 1709 est recusus. Huc etiam pertinet: *Dissertation sur le Caractère de trois Célèbres Romains, Ciceron, Atticus & Lucejus*, où l'on fait voir la difference, qu'il y a entre un véritable honnête homme & ceux qui

qui nō ont que l' apparence. Denique, ut alios brevitatis causa nunc prætereamus, in Academia Lipsiensi de *Larvis Virtutum* disputavit G. C. BUTTNERUS, qui tamen, ut nobis videtur, nimis breviter & tantum non perfunctorie hanc pertractavit materiam. Nec ceteri isti hoc argumentum ita vel exposuerunt, vel exhauserunt, ut non multa adhuc supersint monenda. In eodem igitur nostras vires periclitabimur; Tuam prius C. L. nobis præstolantes benevolentiam, quam vere virtutis alumnis semper patere, non tam speramus, quam confidimus.

§. III.

JUvat vero, antequam propositum ingrediamur stadium, in originem apparentium virtutum paucis inquirere. Scilicet alimus in gremio nostro trifiles illius anguis exuvias, qui primos seduxit parentes, cuius venenum per vitalia nostra undique sese diffundit. Hoc turgidi evadimus, & oculi præstigiis ita fascinantur, ut nævos nostros vel non animadvertiscas, vel instar Amasiorum, sparsa etiam Philumenarum ora admirantium, perfectionum loco eosdem sæpe habeamus. Hinc porro fit, ut nobis indulgeamus, nobisque blandiamur, atque ut vitia quævis, quorum pravitatem intime sentimus, parcius nobis objiciantur, eadem dissimulare, lenire, virtutumque involucre exornare anxie quæramus. Fundamentum igitur ac principium apparentium virtutum merito constituimus in ordinatum nostri amorem, qui præcordia hominum occupans, sanæ rationis imperium valde imminuit, efficitque,

ut gloria, utilitas & voluptas tantum actiones eorum moderentur. Experimur vero hoc ipsum admodum esse iniquum, quare densam larvam pectori prætendimus, adeo ut causæ moventes a nemine conspiantur. Verba igitur raro sunt signa eorum, quæ meditantur mortales, nec actiones eorum desideria atque veram intentionem semper produnt. Paucis: homines totidem sunt ænigmata, eo difficiliora explicatu, quo minus vita & intentio convenient. Non equidem diffitemur, quin Supremum Numen pro summa, qua nos amplectitur, bonitate varia nobis concesserit adminicula, quibus crassum hunc fucum detergere possimus; his tamen multi non sincerores, sed versutiores evadunt. Loquor inprimis probam educationem, qua amor nostri esset emendandus, & animus svavi veræ virtutis sensu imbuendus; per quam tamen plerique hoc solum adsequuntur, ut vitiorum major vis ita subigatur, ut familiaria illa, quæ penitus exuere aut negligunt aut nolunt, non erumpant, nisi occasio, locus & tempus admoneant, ista licentia de nostra dignitate & existimatione, quas sartas tectasque impense optamus, nihil plane decedere. Alii insuper tanta solertia, immo subinde elegantia ista committunt, ut illorum pravitatem vix severus animadvertat Cato. Per conversationem etiam atque imitationem eorum, qui ob serium virtutis studium haud immerito celebrantur, multorum virtus ita quasi colorantur, ut inter virtutis alumnos illum collocent ceteri, qui ne primum, certe nec ultimum inter vitiulos merèbatur locum, Quibus si

accesserit sedula exercitatio & consuetudo, hem? quam venusta virtutum simulacra passim exsurgunt. Denique non erit reticendum, quod externis rationibus quidam sollicitentur, alii vero tanquam cogantur, virtutis personam induere, licet in ipso animo latitans foveant vitium; quorū pertinet, qui propter fractas vires modestius fere gerunt. Etenim non ille virtutis studiosus est, qui a vitiis deseritur, sed qui eadem sua sponte deserit.

§. IV.

Sicut stellæ fixæ eximum, & quædam earum amplexum etiam spargere videntur fulgorem, qui tamen, utpote illis non insitus, admodum perit, dum corpora hæc armatis intuemur oculis; ita quoque dum actiones humanas ad justum revocamus examen, externa species, quæ simplicioribus plerumque solet imponere, sénsum evanescit, & vera virtus suum candorem, simulacra autem hujus suam deformitatem confessim produnt. Sit enim quispiam, quem optime moratum esse, varia indicant signa; persuadeamus autem ipsi, extali vitæ ratione multum laboris, parum gloriæ, nihil vero utilitatis in ipsum redundaturum; profecto nisi pectus generoso honesto incoctum gerat, de sua solertia quotidie remittret, & in stadio virtutis tandem deficiet. Apparentibus enim virtutibus imbutus animus, illas nec propter se diligit, nec quod per verarum studiū officia D[omi]no aliisque debita præster, sed quod easdem pro instrumentis tantum acquirendæ felicitatis habeat. Falsa quoque virtus nisi inveniat laudato-

datores, tædio adficit suos alumnos: his tamen ornamenti vera nunquam indiget, cum ipsa sibi sufficiat, nec aliud, quam ipsius conscientiæ testimonium desideret. Ingruant porro calamitatum agmina & summa imis misceantur; in hoc rerum statu veris virtutibus apparentes dignoscere optime licet. Hæ enim, exlangues quasi, cultoribus suis fœse tunc subtrabunt, quare hi vel animum despondent, vel temerariis ausis se expedire moliuntur; illæ autem suos tum maxime confirmant, adeo ut quemadmodum Sol inter nubium moles fulgidissime micat, ita ipsorum virtus in adversis præcipue suum exserit vigorem. Denique qui simulacra virtutum solum delectatur, impedire nequit, quamvis instar Prothei plures adsumat formas, quin ex alia parte vitia nonnulla, illorum pedestequæ, iterum iterumque se conspicenda præbeant. Sed urget instituti ratio, ut quænam simulacula circa quamlibet virtutem occurrant, nunc exponamus.

§. V.

Intri virtutes locum sibi primum merito vindicat alma *Pietas*, quippe quæ est *studium in iis, quæ ad cultum Summi Numinis pertinent, voluntati ejus convenienter vitam suam instituendi*. Sicut autem Deus, nullis nostris provocatus meritis, vitam & omnia bona nobis largitus est; ita æquum omnino est, ut cultui ejus nos totos devoveamus. Accepimus autem ab Ipso duas partes essentiales, animam & corpus; quamobrem officium postulat, ut

ut utramque pietati nostræ declarandæ adhibeamus: quæ proinde vera & sincera non est, nisi Creatorem nostrum cultu tam interno, quam externo prosequamur. Ex quibus præmissis luculenter patet, quod nubem pro Junone, & simulacra virtutum pro veris amplectantur, qui hæc cultus genera, inter se arctissime conjuncta, pro lubitu dirimunt. Namvis enim DEUS internis animæ homagiis præcipue delebetur; cultum tamen externum susque deque habere non licet. Qui enim talem tovent opinionem, illos profecto, si ad vivum singula resecessimus, pudet, paria cum ceteris in Religionis negotio facere, pudet etiam antiquam fidem ipso opere ostendere, adeoque, quin superbia sit principium speciosarum actionum, quas isti homines edunt, diffiteri nemo potest. Qui rursus pietatem in operosis quibusdam cærimonii atque ritibus collocant, speciem solummodo hujus virtutis mentiuntur: tanto impudentiores habendi, quod hypocritica hac vivendi ratione DEO omniscio illudere non dubitent (*a*). Licet autem quilibet, cui sanguinem modo est sinciput, intelligat, quatu perversum sit ejusmodi institutum; multi tamen antiquissimum Principum per introductam religionem quæsiverunt, ut fictis mysteriis & argutis præstigiis cives, quorum vellent, infleterent, non vero ut sanctis præceptis animos illorum emendant. Ita Romanorum ferociam religionis cærimonii compescuit NUMA POMPILIUS (*b*). Ejus quoque posteri, reipublicæ Romanæ proceres, per prodigia, Sibyllinorum foliorum oracula, & sexcenta alia ejusmodi inventa Quiri-

tes intra officiorum gyrum redigere, adeoque pios impia ratione reddere studuerunt. Ab eorum vero technis quam alienus fuerit MOSES, licet in hunc convicia quævis effutiat impudentissimus Tolandus (*c*), qui purissima ejus dogmata pervolvit, fugere potest neminem. Seriam quoque pietatem imitatur superstitionis, qua vero sit, ut cultus Divinus non secundum ipsius leges, sed juxta eujusvis arbitrium, vel sicut alit svalent, instituatur. Oritur ipsa ex metu servili (*d*), qui cum mortales, rudiores in primis, valde adficiat, λαζαρος DEI cultum deserunt, & varia excogitant, quibus placari Numen & sibi propitium reddi posse opinantur; quare non solum cærimonias novis ritibus anxie cumulant, sed &, quod in vita graviissimum putatur, in se fuscipiunt, atque duris corporum exercitiis, immo spontaneis tormentis gratiam Numinis promererri nituntur. Horum autem recordiam graviter perstringit quidam ex recentioribus: *La pure Morale est si chargée de devoirs sévères, que si on la surcharge encore de formes indifférentes, c'est presque toujours aux dépens de l'essentiel. On dit que c'est le cas de la plupart des Moines, qui soumis à mille règles inutiles ne savent, ce que c'est qu'un honneur & vertu.* His succedunt alii, qui eximium pietatis zelum probaturi, peregre proficiuntur, ut remotissimas etiam gentes ad sua sacra perducant. Quod vero ipsi non gloriæ Divinæ, sed suis præcipue commodis ita velificentur, vel inde pater, quod in his expeditionibus nullum non flagitiæ genus sibi licitum esse credant, & quod

quod populum, ignota sacra amplecti detrectantem, rigidis tormentis imperiose subjiciant: immo quos emendare & feliciores reddere deberent, ipsos sanguinis diluvio, horrendum dictu, truculenter submergant. Absunt vero ejusmodi Harpyiae longissime & a vera pietate & a mansuetudine *CHRISTI*, qui discipulis suis non *ensem*, sed *clavem*, non *flammam*, sed *Scripturam*, nec *tormenta*, sed placida tradidit *argumenta*. Dixit enim: *Ite, non vero ferite*; dixit *Docete, non vero nocete*, multo minus *occidite*. Pietatis denique veræ indolem ignorant, qui tantam crepitant sanctitatem, ut, ex sua saltet opinione, a Cælitum parum absint præstantia, quique propterea ceteros omnes pro fôrdibus generis nostri habent. Qui porro si ad officia humanitatis erga alios exercenda aliquando descendunt, suam sic jaçtant dignitatem, aliorum forte acri adeo modestia ingemunt, justitiaque eorum adeo rigida est, & benignitas adeo gravis, ut immanitas atque durities hominum maleferiatorum commiserationi & zelo illorum interdum sit præferenda. Alia pietatis simulacra nunc exponere non vacat.

(a) Diversas Hypocriseos species recenset *BUDDEUS* in *Theologia Morali* pag. m. 35. seqq. (b) Vid. *FLORI Hisp. Rom. Libr. I. cap. 2.* (c) In *Adesisd.* p. 8. (d) Unde *THEOPHRASTUS* in *Charact. morum* p. m. 47, Superstitionem vocat δειλαῖς τρέψ τὸ δαιμόνον id est, meticulosum erga DEum affectum.

§. VI.

Inter Philosophos haud ita pridem valde disputatum

tum fuit cum de numero virtutum, tum in pri-
mis quæsitum: an *Prudentia* etiam ad virtutes mo-
rales esset referenda? Enimvero cum prudentiæ
sit, notiones practicas generales ad res atque circum-
stantias speciales applicare, ita quidem, ut finem
propositum eundemque semper bonum consequatur,
facile pater, quod prudentia non solum virtus, ve-
rum etiam *Oculus virtutum* haud incommode ap-
pelletur. Dignoseitur autem hæc ex sua probitate,
quæ non solum in fine, sed & in legitimis, quibus
utitur, mediis conspicitur. Prudentes igitur non
sunt habendi, qui ingenio suo tantum tribuunt, ut
si calculos sollicite velint subducere, nihil vel per-
spicaciam eorum posse effingere, vel præter spem &
opinionem ipsorum cadere, sibi aliisque persua-
deant. Hi enim perverso sui amore inflati eventus
quolibet, quibus Divina moderatur Providentia,
qui exiguis saepe momentis constant, prudentiæ
suæ subesse credunt. Quanto his melius VIRGI-
LIUS, qui excidium Trojæ nec prudentiæ *ULYSSIS*,
nec fortitudini Græcorum tribuit, sed ingenuæ pro-
fitetur: - - - - - *In clementia Divum*
Has evertit opes, sternitque a culmine Trojanam (a).
Prudentiam quoque imitantur *Motitia* & *Calliditas*,
quarum illa per cuniculos aliis nocere studet, hæc
vero moralitatem mediorum parum curans, ingeniosissi-
ma quævis optima judicat. Quare CORNELIUS NEPOS
callidum admodum *Callicratis* ingenium exponens, insu-
per addit, ipsum sine religione ac fide fuisse (b).
Datur adhuc quædam calliditatis species, proprius ad
pru-

prudentiam accedens, quæ licet admodum culpari nequeat, bene tamen morati illam non adhibent, nisi rarissime & necessitatis telo velut compulsi. Scitum enim est cujusdam monitum: *qu'il ne faut pas user de finesse pour tromper personne, mais seulement pour s' empêcher d'être trompé* (c). Prudentia enim proprium est, nec falli nec fallere. Denique vere prudentibus illos non adjungimus, qui *FABIUM M. CUNCTATOREM* imitari videri volunt, retamen ipsa imparem omnino gerunt animum. Ipse enim lentis quantumvis passibus proprius propiusque ad scopum accedebat; illi autem procrastinando optimam res magnas gerendi occasionem non raro dimittunt, nec ut Patriam conservent, sed ut sibi suisque consulant, moras neantur & periculis sese subducunt.

(a) Vid. *Aeneid. Libr. II. v. 602, 603.* (b) *in vita Dionis Cap. IX. §. 1.* (c) Vid. *La véritable Politique des Personnes de qualité, p. 65.* & *MONTESQUIEU L' Esprit des Loix Tom. I. p. m. 56.*

§. VII.

Consideranda nunc sunt simulacula Temperantiae; prius vero placidam hanc virtutem proponere juvat. Solet autem illa a Philosophis diverso plane modo definiri. Missis vero aliorum opinionibus, Temperantia nobis est studium evitandi ea, ad quæ turbidi nos sollicitant affectus. Hæc igitur facit, ne anima vel sensuum illecebris vel aliis rebus, quam

quæ cælesti atque immortali ejus naturæ convenient, delectetur. Habet hæc varias quasi Filias, quas seorsim contemplari debemus, ut ingenuam matris indelem cognoscamus. Ad has referimus 1:mo *Sobrietatem*, quæ cibo ac potu rationi atque naturæ convenienter uti docet. 2:do *Castitatem*, quæ Veneri leges dat. 3:to *Frugalitatem*, quæ aliis necessaria libenter erogat, superflua vero ad aliud tempus, quo alii vel nos hisce iterum indigemus, studiose reservat. 4:to *Modestiam*, quæ mediocritatem servat tam in expetendis, quam in recusandis honoribus. Dici autem non potest, quot Protei artibus utantur viria, ut ad ingenuas harum sororum facies etiam suas apte componant. Sobrii tamen non sunt habendi, qui ab illis saltem rebus aut deliciis abstinent, ad quas affectus vel plane non, vel mitius eos sollicitant; nec qui modum in cibo & potu ideo servant, ut svavitatem, quam ex alio quodam affectu experiri consverunt, eo plenius degustent, nedum illi, quos seria subinde negotia intra iustum officiorum gyrum continent, quibus soluti, extra oleas exspatiantur. Sicut de *ALCIBIADE* legimus, quod, ubi gravioribus premebatur curis, abstinenſ valde fuerit, his autem detunctus nimium sibi induiserit, & in nullum non intemperantia genus præceps ruerit. Nec sobrietatis laudem merentur, qui tanto divitiarum amore tentantur, ut cibo & potui vix teruncium quotidie impendant. In hos enim optime quadrat illud *PLATONIS*: *Eorum fatua est temperantia, qui sunt intem-*

iutemperantia temperantes. Denique sicut sobrium albo non sunt adscribendi, qui non tam studio ad Divinam voluntatem sese componendi, quam potius intensissimo vitæ atque intemperantæ valetudinis desiderio nostræ litant virtuti; ita ab eadem longe absunt, qui bona quævis sibi concessa, quibus licet uti possent, negligunt, & Pharisaorum more molestis sese excruciant jejuniis, ut gratiam Divinam ita impetrent. Pergimus ad *Castitatem*, quam Parides etiam affectare soient; probe gnari, quantum ad commendationem faciat, a placitis quoque abstinuisse bonis. Parum omnino ab hac virtute abfuerunt CYRUS, ALEXANDER *MAGNUS*, *SCIPIO AFRICANUS*, aliisque nonnulli, quos tanquam virtutum robora nobis proponunt annales; quippe qui, juvenes licet & victores, formosissimas tamen Principes, quæ in ipsorum pervenerant potestatem, nec adspicere voluerunt, nedum seducere tentarunt; ad castitatem vero Patriarchæ JOSEPHI non accederunt. Hic enim veneras illecebras evitavit, ne Summum offenderet Numen; illi vero, ne opinionem, quam de ipsis conceperant sui, hoc facto minuerent, immo ne in victoriarum cursu femineis impedirentur lenociniis. Minime vero casti sunt habendi, qui vel propter morbum, senectutem vel immodicum harum rerum usum, qui & satietatem & fastidium peperit, magis coacte, quam voluntarie sese continenter gerunt, alia omnino acturi, si effectum corpus pravitati affectuum sufficeret. Nec illos castos di-

cimus, qui in præsentia hominum, quibus obsequium & venerationem debent, a voluptatibus abstinent, ut illi hos affectuum suorum dominos credant, licet in occulto omnis generis libidine diffuant; nec illos denique, qui sordes quasvis vehementer exhorrescent, lætantur tamen, dum alia aliaque Cupidinis stratagemata legunt, eademque tacile saltem probant. Bene enim PHILIPPUS MELANCHTHON canit:

*Casta Deus mens est, casta vulnere vocari,
Et castas iussit pondus babere preces.*

§. VIII.

Frugalis, ut de ipso jam loquamur, se non tam possessorem bonorum acceptorum, quam potius adcuratum eorum distributorem existimat; ideoque & commoditatibus suis, &, quæ aliis care constant, voluptatibus semper aliquid subtrahit, ut habeat, quo suam aliquando & aliorum etiam levet indigentiam. Inter vitiis deditos nec hic suis destituitur mimis, qui indolem ejus scite admodum imitari conantur. A frugalitate enim parum inprimis abest *Avaritia*, quam tamen *omnis improbitatis metropolim* haud immerito appellavit *Bion*. Sed crassum detergamus fucum, & mox constabit, quantum hæ differant. Avarus enim opes ita concupiscit, ut illas indies valde augeat; gemit igitur doletque, quoties necessariis vel obolum impendet. Frugalis vero opes etiam colligit, nec tamen eisdem instar vulturis quotidie inhiat, sed sine ægri-

gritudine illas e latebris erumpere permittit, quoties vel DEI gloria, vel tenuis aliorum fors vel honesta vitae ipsius conditio impensas requirant. Unde sequitur, quod frugalitas sit indicium grati animi, sed avaritia maximam prodat ingratitudinem. Præterea sicut frugales non sunt habendi, qui simplici adeo sunt ingenio, ut nullius rei, adeoque nec opum, tangantur desiderio; ita hujus virtutis nomen sibi frustra vindicant, qui impigro labore majorem pecuniae summam sibi comparare nequeunt, quam quæ in singulos dies ad necessarios sufficit sumptus. Tandem exponenda est *Modestia*, quæ proba sui cognitione nititur, qua quisque exploravit, quid valeant humeri, quid ferre recusent; adeoque hæc aliorum studium cuique devincit. Hanc igitur virtutem illi etiam jactitant, qui ipsam revera maxime aversantur; superbos loquor & nimio ambitionis cæstro percitos. Sicut enim mercatores exiguum jacturam subinde faciunt, ut opes tanto majores deinceps lucentur; ita etiam ambitiosi & superbi si tenues, quos primum ambiunt, honores non consequantur, indignationem celant & vultum callide fingunt, modo aditum ad maiores ita sibi sensim parent. His parum dissimiles sunt, qui honores, sibi oblatos, prolixe recusant, non quod invitati gererent, sed ut ipsis, tanquam solis dignis, obtrudantur; quo majori deinceps auctoritate in illis administrandis fruantur. Nec denique modestis sunt adnumerandi, qui, ne aliis aliisque voluptatibus, quibus fese inde a teneris devoverunt, nuncium facere

cogantur, nec animi dotes excolunt, nec honores
ullos appetunt.

§. IX.

Ad Temperantiam, generaliter sumtam; referunt quoque nonnulli *Moderationem*, quæ tamen de justitia quoque nonnihil participat. Hæc duplii in primis modo sese prodit, cum æquabili vitæ ratione tam in secundis, quam in adversis, tum maxime in neglegētu injuriarum, nobis ab aliis illatarum. Prior vulgo dicitur *Continentia*, item *Abstinentia*; posterior autem *Generosus Animus*. Nascentur autem hæ virtutes in pectoribus nostris, partim ex justa propriæ sollertiae dissidentia, atque intima persvassione necessariæ opis Divinæ in singulis negotiis, partim ex studio aliis beneficiendi, & ad Divinam voluntatem sese ita componendi. Multi vero abstinentiam æmulantur, non nobili, quem modo diximus, fine permoti, sed tantum, ut constantiæ laudem mereantur, & partam felicibus gestis gloriam conservent. Talis fuit abstinentia EPAMINONDÆ, qui licet laudem severi affectaret Philosophi, sibi tamen temperare non potuit, quin die illa, qua victriam ad Leuctram reportaverat, vehementer lætaretur; postera autem die tristis atque fôrdida ueste in concionem prodiens, amicis, causam tantæ mutationis querentibus, respondit: *Hesternæ diei latitudinem ita expio*. Generosum quoque animum haud pauci mentiuntur, sola superbia aut ambitione ducti. Sibi enim aliisque persuadent, se supra communem mor-

mortalium fortem longe constitutos, atque semideos esse factos, adeoque par esse, Numinis facilitatem in obliviscendis injuriis, ab aliis sibi illatis, imitari. Qui igitur si vel ab inferioribus, vel etiam honoratioribus, quorum vero exigua ingenia & pusillam probe cognoscunt sollertia, aliquando insultentur, vanos eorum conatus negligunt; at si semideos quosdam alios conspiciant, qui gloriam, quam soli hactenus placide obtinuerunt, dubiam ipsis reddere conantur, se ipsis confessim ita obliviscuntur, ut non solum injurias levissimas sive veras sive argute fictas, gravissime ulciscantur, sed & emergentem virtutem opprimere operose nitantur. Digitum quasi hic intendimus in Q. FABIUM MAXIMUM, qui collegam MINUTIUM, hominem magis temerarium, quam fortem, sibi insultantem, admodum tulit: qui Dictator a Populo Romano constitutus, nihil grave in collegam hunc statuit: qui non solum acerbas Metelli exprobationes, sed & populi iniqvitatem tranquillus neglexit: Qui vero novam SCIPIONIS gloriam, qua de suis rebus gestis haud parum decessurum ominabatur, adeo impotenter tulit, ut nihil non molitus sit, quo Heroem hunc opprimeret, adeo sui nunc dissimilis, ut a Fabio ipso generosum illum Fabium quereres. Principes quoque, ut benevolentiam civium, qua ad imperii robur nihil firmius deprehendunt, sibi arctius devinciant, speciem generosi animi saepe ostendunt. Nescio sane, an non huc referri queat scitum dictum Regis Galliae LUDOVICI XII: *Un Roi de France ne vante point les injures d'un Duc d'Orleans.*

§. X.

Virtutibus modo memoratis proxime adjungimus Liberalitatem, qua quis e gentibus tantum e facultibus suis hilari ac prompto animo tribuit, quantum absque propriæ paupertatis periculo largiri potest. Licet autem laudes & propensa aliorum studia hanc virtutem presse sequantur, beneficia enim ab ingenio non reticentur; tantum vero abest, ut liberalis illa requirat, ut potius eadem oblitici quotidie satagat, callidam ac temporariam beneficentiam totus exhorrescens. Propter hanc igitur, sed præter meritum commendari volunt *Prodigii*, qui opes suas non tam distribuunt, quam inconsulte dilapidant; justitiæ præcepta admodum negligentes, cum nec pro dignitate & indigentia aliis largiantur, nec rationem futuræ suæ conditionis ullam habeant. Hi porro aliqui his similes, qui liberalitatem jactant, sincero eam animo raro exercent; sed sicut Vestales quondam falsis fese devoverunt Diis, ita quoque illi munificentia sua auctoramentum gloriæ tantum querunt. Ne quis vero de hac re dubitet, splendidos hosce viros paullisper sequamur. Nonne quotidiana fere loquitur experientia, quod multi eorum sint valde parci, dum domi necessariis rebus, sed quæ minus videntur, sumptus impendent, qui frivolis etiam, modo omnium obversentur oculis, insignem auri & argenti vim tribuunt? Nonne alii dantur, qui duram propinquorum & amicorum fortē nulla ratione levare conantur, qui eodem tempore ignotis,

tis, fæpe indignis, pretiosissima mittunt dona, lucu-
lenter ostendentes, se non hominibus, sed fortunæ
esse amicos? Nonnullorum denique ea est demen-
tia, ut justam suis mercedem subtrahant, vel opes
malis artibus corradiant, ut habeant, quo adulato-
rum emant encomia & potentiorum favorem sibi conser-
vent. Alii non tam largiuntur, quam potius bona
sua erogant, insigni cum fœnore eadem brevi post
repetituri. Horum alii cum non tam publicæ utili-
tatis causa, quæ tamen semper prætenditur, quam
ex officii tenore sumtus quosdam faciunt, ingentia
sibi vicissim postulant stipendia; alii largitionibus
honores, alii denique & divitias & honores quæ-
runt. Sicut Equites Romani lautissimis viscerationi-
bus, vastis & elegantibus ædificiis, nec non ma-
gnificis spectaculis ad summos Magistratus & opu-
lentissimarum Provinciarum administrationem faci-
lem sibi pararunt aditum. Quo quidem sensu
PLATO virtutem haud inepte vocavit *quandam*
permutationem.

§. XI.

Consideranda quoque a nobis est *Humilitas*, quam
eo magis inter ceteras virtutes collocandam esse
existimamus, quod eas, si modo veræ & genui-
næ sint, presse comitari soleat. Consistit
autem hæc virtus in reflexione super infirmitates
nature nostræ, & erroribus, quos vel olim potuimus
commisisse, vel etiamnum possumus committere,
qui non minores sunt iis, qui ab aliis patrari pos-
sunt. Unde evidens est, quod hanc virtutem sen-
sim

sim discamus, dum justa nos metimur decempeda,
 immo quod eximia plane ejus sit præstantia. Sicut
 vero ceteræ virtutes sua pati coguntur simulacra, ita
 quoque umbra hujus in medio nostrum oberrat.
 Quam multi, quæso, inveniuntur, qui adversæ fortunæ
 calamitatibus oppressi, in pulverem usque procum-
 bunt, & Summum Numen ita supplicibus tantum
 his gestibus ad commiserationem commoveri arbi-
 trantur, quorum tamen ferocia præcordia admodum
 tument? Alii sese vituperant, adeoque humilitati stu-
 dere videntur, si autem ad vivum singula resecemus,
 facile reperimus, quod sic se gerant, ut aliorum lau-
 des sibi comparent, vel etiam si virtus sua enunciant,
 studiose tamen removent ea flagitia, quæ dedecus
 quoddam ipsis adferrent, & illa solum crepitant,
 quæ humanam sortem plerumque comitantur. Hinc
 furta, adulteria, aliaque, si eadem commiserint, celant,
 suam vero dolent negligentiam, pigritiam & iracun-
 diam. Nec illi admodum humiles sunt habendi, qui co-
 ram aliis, præsertim patronis suis, omnis generis obse-
 quia mentiuntur, clientes eorum humillimos sese semper
 confitentes, ut fortunam suam amplificant, & ad ho-
 nores faciliorem sibi acquirant aditum. Sic SCYL-
 LA omnium presabat manus, quorum operam sibi
 necessariam judicabat; qui tamen ceteros arrogan-
 ter vexavit. Vera denique humilitate destituuntur,
 qui aut per temperamenti constitutionem aut consuetu-
 dinem abjecto nimis sunt animo, nec altiora spirant
 & alios sibi anteponi haud ægre permittunt,

